



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Christi ad Pilatum ducti. Ode Dicolos Distrophos. LVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

MONUMENTA.

65

Errante plebe doctor insolentior
 Sese suosque perdidit,
 Dum missa dono Patris almi pignora,
 Agit ream prolem Dei,
 Salutis ampla qui ferebat pontifex
 Promissa rebus efficax.
 Hunc parricidis orta turba viperis,
 Illudit indignis modis,
 Postquam furentis voce turpi flaminis,
 Damnauit amens concio.
 Et ora Soli percolenda fulgido
 Vefana deturpat manus:
 Ac verba ridens miscet insolentia,
 Quæ dictat infernus furor.

VIRTUS MVNDO INVISA.

Contemnit damnatque suam malè sana salutem
 Turba hominum, postquam decidit in tenebras.
 INNOCENTI PRO SCELERATIS
 DEVOTO S.

In tabulam Christi ad Pilatum ducti.

Ode Dicolos Distrophos. LVII.

Q Vonam scelesti turba non dignis virum
 Vinculis reuinctum proripis?
 Nam nec cicutæ temperator impius,
 Nec cæde famosus latro,
 Nec qui parentis ædibus flammæ tulit;
 Tantos furores excipit.
 Vix ista sana fert tumultus inuidi
 Exempla, qui negat Deum:
 Vel qui deorum abominanda numina
 Ausis prophanis consecrat.
 Qui sancta legis abrogat volumina,
 His debet excludi modis.
 At hic salutis certus almæ nuntius,
 Amica mens mortalibus,
 Hic expeditus antè cunctis sæculis,
 Promissus atque vatibus;
 Matura missus nunc referre tempora,
 Fructusque dignos poscere;

E.

Hæres.

66 HUMANAE SALVTIS

Hæres colonis execratus improbis
Fundo è paterno pellitur:
Fundo probatis quem noua arte vitibus
Diuina plantarat manus;
Heu peruicacis fraude gentis, & dolo
Exclusus extra vineam,
Vrsis premendus, & feris leonibus
Dilancinandus traditur.
Sed horret atrox gentis impiæ nefas,
Fera ipsa, & vrgetur tamen.
Inuita verbis cogitur minacibus
Sæuire in agnum innoxium.

FELICITAS REPVLSA.

Vtrique infamis populo cùm factus Iesus,
Curabat populi res vtriusque tamen.

AGNO A LVPIIS LEONI OBIECTO S.

In tabulam Christi ad Herodem missi.

Ode Tricolos Tetraſtrophos. LVIII.

IVſum & suorum fraudibus inuidis
In mortis actum crimen vt audit,
Non prætor audebat nefando
Iudicio temerare Iesum.
Exlex & atris noctibus vndique
Septus Tyrannus, fas tamen inspicit
Et iura perpendit profanus
Pontificum meliùs cathedris.
Ille innocentem perdere transferens,
Declinat acti iudicium rei,
Causamque deuoluit tyranno
Quem Galilum populi timebant.
Hunc nec paternæ exempla ferociæ,
Nec ruta nusquam cura tyrannidis,
Nec regis illud nomen vncti
Iudicium temerare cogunt:
Postquam superbo iusserat ambitu,
Et curiosa mente poposcerat
Spectator ac vellet probare
Signa modis celebrata miris.

Sed